



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

221. An Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, &c. eligi nequeant, sed debeant postulari ad aliam Ecclesiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

eo, in quo sunt æquiparata. Laym. Pirh. *loc. cit.* citantes gl. in c. si postquam. de elect. in 6. v. provisione. Navar. in c. pena. num. 12. & 14. dist. 1. de penit. Neque in contrarium facit, quod tametsi sponsalia & matrimonium tendant ad eundem finem, ideoque prohibito vel irrito matrimonio inter certas personas sint quoque hoc ipso prohibita vel irrita sponsalia; non tamen pœna statuta contrahentibus matrimonium prohibitum extendatur ad contrahentes sponsalia prohibita; nam electio & postulatio in jure æquiparantur, etiam quoad pœnas, idque jure expressum est, non item matrimonium & sponsalia. Pirh. *loc. cit.*

2. Pœrò hæc pœna privationis seu suspensionis pro una vice à jure eligendi & postulandi probabilis quoque locum habet in eligentibus (idem est de postulantibus) indignum ad prælaturas & dignitates Episcopatu inferioribus. Laym. in c. cum in cunctis. de elect. num. 3. citans gl. in c. dudum. de elect. v. in Ordinibus. & Abb. *ibid.* num. 11. contra Jo. And. additque Laym. nu. 4. id saltem certum esse, quod, si Capitulum, v. g. Collegiatæ secularis aut regularis Ecclesiæ indignum eligant prælatum, Episcopus pro ea vice privare possit Electores, & ipsemet jure devolutionis facere provisionem, ut constare ait, ex cit. c. dudum. & c. quanquam. de elect. Rationem quoque addit Laym. quia nimirum spectatâ rei naturâ omnibus Electoribus (idem est de postulatoribus) personæ indignæ ad Prælatum congruit, & debita sit ista pœna; tum, ut in eo puniantur, in quo deliquerunt; tum quia, saltem pro ea vice ob præsentem affectionem, & animum dispositionem non satis dispositi censentur ad bonam & Ecclesiæ utilem electionem faciendam.

3. Respondeo secundò: illos insuper suspensos esse à beneficiis, quæ in ea Ecclesia, pro qua, seu in qua fit postulatio, per triennium, Extrav. unic. h. t. inter commun. Laym. in præamb. ad h. t. coroll. 2. & in c. cum in cunctis, de elect. §. Clerici sanc. n. 1. ubi etiâ num. 2. subjungit, hanc pœnam suspensionis à beneficiis incurri solum ab iis, qui indignum eligunt (vel postulant) ad Ecclesiam Cathedralis; non verò ab iis, qui indignum eligunt, non ad Cathedralis, sed inferiorem Ecclesiam seu prælaturam, juxta c. si compromissarius. de elect. in 6.

4. Proceditque utraque hæc pœna seu suspensio, & quidem à potiore, etiam in iis, quibus potestas eligendi vel postulandi ex privilegio concessa fuit, vel etiam amissa (v. g. ob electionem vel postulationem factam de indigno) restituta, si postulent, vel eligant denuò indignum; cum qui concessio sibi privilegio abuteretur, mereatur illud amittere, illoque privari, vel omnino, vel ex parte, juxta cap. ubi. 7. d. 74. & c. cum illorum. de sent. Excomm. Et privilegium, per quod restituitur, seu recuperatur jus commune amissum, non plus tribuat, quam amissum sit, adeoque, si ii, quibus de jure communi competit eligere & postulare, dictam pœnam incurrant, dum indignum postulant, multò magis dum id faciunt illi, quibus illa facultas ex privilegio concessa, vel restituta. Pirh. num. 28. Laym. in c. 2. h. t. n. 1. cum Abb. *ibid.* num. 2. in quo c. 2. manifestum hujus rei est exemplum. Et licet aliàs regulariter abutens privilegio sibi concessio non ipso facto eodem privatus existat, sed per sententiam eo privari possit, ac debeat Argumento citati cap. ubi. & ut cum communi tradit Suar. l. 8. de leg. c. 36. n. 8. id tamen speciale privilegio, per quod acquisita, vel recuperata facultas aliàs jure communi con-

cessa, ut ipsius abusus ex jure communi ipso facto annexa sit privatio illius. Pirh. Laym. *loc. cit.*

Questio 220. An, dum Capitularium aliqui ob dictam causam ipso facto privati sunt potestate eligendi & postulandi, tota hæc potestas ad alios, qui indignæ tali postulationi non consenserunt, sed expresse contradixerunt, (si enim tacuerunt, & non contradixerunt, sicut debuerunt, & potuerunt, non habentur pro innocentibus. Abb. in c. 2. h. t. licet numero sint pauciores, devolvatur?

Respondeo affirmativè. cit. c. 2. habetur etiam in c. bona. & c. cum Vintoniensis. de elect. quod exclusis delinquentibus potestas tota resideat in aliis, qui non peccaverunt. Pirh. *loc. cit.* num. 29. Verumque id etiam est, etiam si tantum unus è Capitularibus innocens supervit, aliis omnibus privatis, ut is solum prælatum eligere vel postulare possit. Gl. communiter recepta in cit. c. 2. v. pauciores, apud Pirh. *loc. cit.* jus namque & nomen Universitatis stat, & conservatur etiam in uno. l. sicut. ff. quod cujusque universit. nomine &c. Et licet unus non faciat Capitalium, jura tamen Capituli in uno solo residere & remanere possunt. Gl. in c. 1. de elect. v. duo. Abb. in c. gratum. h. t. cum communi, potestque unus solus, in quo hoc modo habetualiter seu virtute manet Collegium, exercere actus competentes Collegio, ut est eligere, postulare prælatum; non tamen seipsum eligere vel postulare; quia hoc ipso ob vitium ambitionis censetur indignus. Abb. Pirh. *loc. cit.* his non obstante l. si grege. ff. de legat. ubi dicitur gregem desinere, uno tantum animali ex grege remanente, nam in tali universitate pecorum non dantur jura vel bona, nec adest in ea subiectum rationale, in quo conservetur jus universitatis talis. Quod verò aliàs ob delictum majoris partis alicujus communitatis tota communitas, adeoque & ipsi innocentes puniri possunt ac soleant; id solum verum est, si crimen atrox à majore parte Collegii collegialiter conveniente ad deliberandum & decernendum de crimine commissum, pœnæque statuta crimini est talis, ut in singulos cadere nequeat, v. g. extinctio Collegii; vel etiam, licet pœna sit talis, ut in singulos cadere possit, v. g. spoliatio bonorum; communitas tamen delinquens tam sit magna, ut ægrè discerni possint innocentes à nocentibus; quia jam innocentes sunt veluti pars nocentium moraliter inseparabilis ab aliis. Pirh. num. 30. Argumento c. gratum. h. t. Vide de his plura cap. seq. ubi de eligentibus indignum. Nunc in specie de aliquibus, de quibus dubium esse poterat, num patiantur talem defectum, ob quem eligi nequeant, sed necesse habeant postulari. De aliis verò impedimentis tam impediens electionem, quam postulationem, vide partem 1. ubi de conditionibus & qualitatibus requisitis in promovendo ad beneficia ecclesiastica.

Questio 221. An Episcopi, Archi-Episcopi, Patriarchæ eligi nequeant, sed necessariò postulari debeant ad aliam Ecclesiam?

Respondeo affirmativè, estque electio talis omnino irrita. Laym. in cap. ult. h. t. num. 1. Pirh. ad tit. de postul. num. 9. Pass. de elect. c. 24. num. 33. Barbof. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 11. cum communi, juxta c. ult. h. t. sunt enim Episcopi (idem est de aliis prælatis Episcopo superioribus) jam spiri-

tuali

uali matrimonio copulati Ecclesie, ad quam primo assumpti sunt. *c. inter corporalia. de translatione. 6. sicut vir. 7. q. 2.* adeoque, sicut conjuges consentire nequeunt in alio matrimonio, ita nec Episcopus desponsatus iam uni Ecclesie desponsari alteri, & in aliam consentire, uti fit per electionem, priusquam auctoritate Papae priori vinculo sit liberatus, AA. iidem. Postulari tamen potest Episcopus ad aliam Ecclesiam; cum nec postulantes in postulatum tanquam in sponsum consentiant, uti faciunt eligentes, nec postulatus in Ecclesiam posteriorem tanquam sponsus prius consentit, eique desponsetur, quam a prioris Ecclesie vinculo sit liberatus; quod ut fiat, per postulationem petitur ab eo superiore, qui à Deo hanc potestatem dissolvendi hoc spirituale conjugium accepit. Laym. Pirh. *loc. cit.* cum Abb. *in cit. c. ult. h. t. n. 5.* Quin & Episcopus consecratus, si postulatus sit ad aliam Ecclesiam cathedralem, ita exigente utilitate vel necessitate Ecclesie, etiam invitatus cogi potest à Papa ad illam acceptandam juxta *c. 35. 7. q. 1.* Secus est de Episcopo non consecrato, Pirh. *n. 10.* quamvis hodie una cum postulatione alia dispensatio à Sede Apostolica impetrari soleat, nempe ut priorem Episcopatum retineat, & sic indissoluto priore vinculo novam insuper sponfam cum priore, seu plures Episcopatus retineat, & in digniore, seu ampliore residat Laym. *loc. cit.* Pirh. *n. 10.*

2. Extenditur autem responsio ad Episcopum confirmatum, etsi nondum consecratum; per confirmationem enim perficitur matrimonium illud Episcopi cum Ecclesia, licet non intelligatur veluti consummatum, nisi per consecrationem, Pass. Pirh. Laym. *loc. cit.* cum Abb. *loc. cit.* Extendenda etiam censetur ad Episcopos, & quidem à potiore, utpote consecratos, qui Suffraganei seu nullatenes dicuntur, quippe qui & ipsi non minus copulati suae sponsae seu Ecclesie, & si ea sub potestate infidelium consistat.

3. Limitanda è contra Responsio, ut non intelligatur de Episcopo electo nondum confirmato; quia talis necdum simpliciter est sponsus, sed solum per electionem ab eo acceptatam inchoatum veluti est matrimonium inter illum & Ecclesiam, *c. cum inter. de elect. & gl. in c. unic. h. t. in 6. v. vera electio.* Ac proinde sine licentia Papae ante confirmationem adhuc renunciare potest electioni acceptata. *c. si electio. de elect. in 6.* Laym. *loc. cit. n. 2.* Pass. *loc. cit. n. 36.* Pirh. *loc. cit. n. 10.* Item ut non intelligatur de Episcopo etiam consecrato, qui jam renunciavit Episcopatu; cum per renunciationem talem admissam solum jam sit vinculum cum priore Ecclesia; adeoque jam eligi denuo possit in Episcopum alternis Ecclesie. Pirh. Laym. *loc. cit.* Pass. *n. 35.* citans Abb. *ubi ante. Biax. de elect. p. 2. c. 34. n. 4.*

Quaestio 222. Quid hac in re dicendum de Cardinalibus non Episcopis?

R Espondeo: Ex hoc praecise, quod quis Cardinalis sit, non debet, nec potest postulari solenniter ad Episcopatum, sed est eligibilis. Laym. *in c. bona. 3. de postul. n. 4.* Pirh. *ad tit. de postul. n. 11.* Pass. *n. 37.* citans Biax. *de elect. p. 2. c. 35. n. 4.* & juxta *c. Ecclesia vestra. de elect. & ibi Abb. & Joan. And. contra Barbol. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 9.* Azor. *p. 2. l. 4. c. 3. q. 15.* Secutos Ant. de Butrio *in cit. c. Ecclesia vestra. n. 16.* & Imol. *ibid. n. 4.* Host. Sylv. & c. cum enim nullibi jus Canonicum prohibeat Cardinalem assumi ad Episcopatum, sed solum veteret, ne Cardinalis Episcopatum acceptet, & ne Ecclesiam Romanam, cui ad-

strictus est quoad residendum penes illam, deserat sine licentia Papae, intervenire quidem necesse est postulationem simplicem (quod voluit Laym. *loc. cit.* iniquens; dicendum, quod electio Cardinalis in Episcopum quodammodo sit postulatio, quia electionem acceptare nequit sine consensu Papae) non verò solennem, cum Papa concedendo istam licentiam, jam non magis dispense, quam dum Abbas monacho dat licentiam, ut consentire possit electioni suae in Episcopum, Pirh. *loc. cit.* Laym. *loc. cit. n. 4.*

2. Nec obstat *cir. c. bona.* ubi dicitur: *quidam vestrum S. Praxedis Cardinalem, quidam Imolensem postulaverunt.* nam vel intelligendus hic textus de postulatione improprie tali seu simplici, ut Abb. *in cit. c. Pirh. loc. cit.* vel dicendum rō postulaverunt, respicere solum Imolensem, utpote Episcopum, qui proinde non poterat non postulari solenniter. Pass. *loc. cit. n. 37.* Neque etiam obstat, quod Cardinales sint majores Episcopis, habentque in Ecclesiis sui tituli jurisdictionem quasi Episcopalem; nam licet majores sint Episcopis ratione officii, utpote constituentes unum corpus cum Papa, & coadjutores ejus in executione sacerdotalis officii, *c. per venerabilem. qui filii sint legitimi.* Sunt tamen interiores illis ratione Ordinis. Pirh. *citato num. 11.* cum Abb. *in cit. cap. Ecclesia. num. 15.* quamvis nec hoc verum, quod eligendus necessario promovendi debeat ad dignitatem majorem, quamvis conveniens sit, ut sic fiat, Pirh. *loc. cit.* nec denique obstat, quod obstrictus sit Ecclesie Romanae, aut etiam Ecclesie sui tituli; hoc enim, ut dictum, solum arguit intervenire debere in ejus promotione ad Episcopatum postulationem simplicem; sed neque adhuc per hoc, ut Pass. Ecclesie alicujus proprie sponsus sit.

3. Occasione cujus & illud hic notandum, quod licet Cardinalatus & Episcopatus sint incompatibiles in eadem persona, nisi Papa dispense. Pirh. *loc. cit. n. 12.* citans Cajetan. *2. 2. q. 185. a. 5.* juxta *c. bona. 3. h. t. & Abb. ibi n. 6.* Idque propter impossibilem residentiam in propria Ecclesia cathedrali, & simul in Urbe Romana, ubi necesse habet residere cardinalis, ut Papae assistat, eumque consilium adjuvet, unde etiam ex usu & stylo Curiae Cardinali, qui in Urbe residere debet, Papa non consuevit Episcopatum conferre in titulum, sed in commendam, ut ex ejus fructibus decentius sustentetur, ut Fagn. *in cit. c. bona. n. 23.* nisi forte Episcopatus sit ex illis sex Urbis vicinis; adeoque jam dum Cardinalis assumitur ad Episcopatum, hoc ipso vacare deberet, & amitti Cardinalatus, sicut & alia beneficia incompatibilia, usu tamen & in praxi contrarium observari solet, ut Cardinalatus simul cum Episcopatu retineatur, nisi Papa aliter disponat; cum non deceat aliquem per electionem à majore dignitate ad minorem devolvi. Pirh. *loc. cit. n. 12.* Laym. *ad cit. c. bona. n. 4.*

Quaestio 223. Quid dicendum de aliis praelatis tam regularibus quam secularibus Episcopo inferioribus, puta, Abbatibus, Archidiaconis, Praepositis, Prioribus, dum ad alterius Ecclesie dignitatem similem vel majorem sunt assumendi?

R Espondeo: postulari non posse postulatione solenni, sed eligi debere, licet eorum aliqui ad hoc egeant licentia superioris (quin & Abbas immediate subiectus Papae ad aliam Ecclesiam transire nequeat sine licentia Papae aut Legati à latere, ut Pass. *n. 39.* citans Bald. *in c. fin. h. t. n. 2.* & alios plures. Laym. *in cit. c. bona. n. 4.* juxta *c. si Abbas. de elect. in 6.* adeoque respectu eorum intervenire debeat postu-